

et infra biennium habituris, cuiuscumque praeminentiae, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant: quibus aut alicui eorum nulla privilegia aut indulgentiae sub quacumque verborum forma vel expressione concessa, quo ad hoc volumus suffragari personis eorundem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non militibus S. Joannis Hierosolimitani et Beatae Mariae Theuthonicorum huiusmodi dumtaxat exceptis, in terris et locis congruis per infrascriptos collectores aut ab eis facultatem habentes statuendis et declarandis persolvendas, et in huiusmodi conservatione exponendas auctoritate apostolica tenore praesentium imponimus, utque ipsarum decimarum exatio facilius fieri possit, duas personas in dignitate ecclesiastica constitutas per vos in Dominio vestro ab hoc nominandas, super quo vobis per praesentes licentiam damus et facultatem concedimus una cum venerabili fratre nostro Patriarca Venetiarum collectores et exactores dicta auctoritate facimus, creamus, constituimus et deputamus, eisque decimas huiusmodi ab eisdem archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis et personis aliis ad illa solvendum astrictis petendi, colligendi, exigendi ac eis tam in genere quam nominatim et in specie ut illas solvant sub excommunicatione latae sententiae et privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos tunc obtentorum, et aliis de quibus sibi videbitur poenis etiam pecuniariis auctoritate nostra mandandi, ac terminum ad id praefigendi et praefixum semel et pluries, totiens quotiens sibi videbitur prorogandi, ac subcollectores qui pari qua ipsi per vos ut prefertur nominandi per praesentes uti poterunt facultate fungantur deputandi tam generales, quam nominatim, et deputatos amovendi ac alios eorum loco totiens quotiens sibi videbitur surrogandi; nec non decimas, huiusmodi solvere recusantes directe vel indirecte per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia opportuna appellatione postposita compescendi. Invocato etiam si opus fuerit ad hoc auxilio brachii saecularis, solventes vero de solutis quietandi, liberandi, et ab excommunicationis sententia aliisque censuris et poenis quas dicta occasione quomodolibet incurrissent absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi; mandandi et exequendi plenam et liberam, tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus si praemissis exceptis eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus,

Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Militibus ac aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis comuniter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod ad solutionem alicuius impositionis minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eiusque toto tenore ac propriis ipsorum locorum ordinum et personarum nominibus et cognominibus et quibuscumque privilegiis exemptionibus etiam in corpore iuris clausis ac litteris Apostolicis quibus dignitatibus seu ordinibus, stabilimentis, usibus et naturis et praecipue S. Benedicti, S. Agustini Cluniacensis, Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Cruciferorum et Humiliatorum et ipsorum universitatibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma et expressione verborum ab eadem Sede concessis, mentionem etiam si de eis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum quoad oportuna eorum et clausularum in eis contentarum derogatarum derogationem praesentibus habenda esset mentio specialis, quae eis quo ad praemissa illis alias in suo robore permansuris nolumus quomodolibet suffragari. Volumus autem, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia Divino cultui dedicata ex causa pignorum vel aliter occasione solutionis decimarum huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur, quodque pro maiori solventium comoditate dictae duae decimae per nos concessae exigi debeant divisim et equaliter, una videlicet super praesentis anni 1526, altera vero super sequentis anni 1527, fructibus, redditibus et proventibus predictis ac quod praesentium transumptis alicuius ex nominatis per vos collectoribus vel praelati in dignitate ecclesiastica constituti, sigillo et publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra quae adhiberentur ipsis originalibus litteris, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris. Die XXVI Martii 1526, pontificatus nostri anno tertio Be. El. Ravennatis. Datum in nostro Ducali palatio die XXVIII Junii indictione XIV, 1526. Aloysius Sabadinus secretarius. Nos itaque Hieronimus patriarcha, Jacobus episcopus, et Marcus Antonius protonotarius executores seu collectores apostolici autedicti, sic requisiti per dictum Serenissimum et illustrissimum Ducem et Dominum Venetorum pro